

floret in horto, videtur fore annuum. Flores magni et speciosi sunt.

Accepi et *Nicotianam minimam* Milleri, sed cum sero acceperim, vereor quod non videam flores.

His vale . dabam Upsaliae 1762, d. 8. Maji.

20.

Viro vere egregio DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.
Linnaeus.

Heri accessere Tuae Tabulae vere aureae, quae me replevere summo cordis gaudio. Vidi jam Tecum tot pulcherrimas, rarissimas plantas, ridentes et vivas. Unice me taedet quod impressio mearum specierum pervenit ad Umbellatas, ut nequirem eas ubique excipere.

Planta pyrenaica est certe Saxifraga, sed speciem ex specimine determinare non licet.

Gentiana pumila videtur mihi mera varietas Gentianae vernae.

Chenopodium polyspermum.

Ceratonia forte erit polygama, nam feminam vidi Parisiis.

Sed ad Tabulas Tuas.

Justicia pulcherrima, videtur simillima meae Justitiae pictae, anne folia in Tua sint colorata, uti in mea?

Justicia tab. IV. videtur esse mea Justicia assurgens.

Utricularia t. VI. est plane mirabilis in hoc genere.

Gomphrenam ficoideam t. LX. retuli ad Illeceabri genus.

Elaphrium videtur summa affinitate junctum Fagaris, quamvis stamina duplo plura.

Parkinsonia, annon deberes ponere spinas binas.

Tab. CLI. Arum anguinum. quod intelligis cum istis